

derent! Ad utraque ergo hæc tempora inspicienda, anteriores & posteriores isti oculi dati sunt: quin etiam ad omnia virtutum officia moderanda, illamque mediocritatem præscribendam, sine qua nulla virtus exstare potest, necessaria sunt. Magna enim prudentia, quæ oculorum nomine designatur, ad hoc opus est. Ea namque virtutum omnium velut auriga quædam & gubernatrix esse dicitur: ideoque multi oculi numerantur, quia multa nobis prudentia opus est. Virtutes etiam, quibus ipsa præsidet, mediocritate gaudent: qua si destituantur, virtutis nomen amittunt. Prudentia vero nullis finibus coercetur, sed quo majoribus incrementis aucta fuerit, eo perfectior erit. Ideoque quum ea, quæ ad cultum templi, & sacrificiorum oblationes necessaria erant, a rege Persarum certa quadam mensura tribuerentur; sal tamen absque ulla mensura dari præcepit. Quum autem sapientia, & salis, & oculorum nominibus designetur; nihil mirum, si nullus certus numerus oculorum, nulla salis mensura sit.

Hos igitur oculos sancti evangelistæ habuerunt: hos et-

iam beatissimus Matthæus speciali quadam ratione sortitus est; cui inter sancta hæc animalia hominis facies tribuitur, propterea quod sacratissimæ humanitatis Christi opera atque mysteria luculentissime persequutus est. Post Christi vero resurrectionem profectus in Æthiopiam, quam provinciam fuerat sortitus, verbum Domini sequentibus signis latissime disseminavit. Er, regio puero e morte ad vitam, divina ope, revocato, regem patrem cum uxore, & universa provincia ad Christi fidem convertit. Cui regi defuncto quum Hirtacus quidam in regno successisset, ejusque filiam Iphigeniam sibi vellet matrimonio copulare; Matthæus, quo auctore virginitatem illa voverat, ut in sancto virginitatis proposito persisteret, eandem hortabatur. Itaque virginem constanter suis votis obistere molestissime ferens Hirtacus, Matthæum, quem ejus consilii auctorem esse sciebat, ad altare sacra facientem gladio confodi iussit. Et sic apostoli & evangelistæ martyrisque coronam adeptus Matthæus, ad Christum beatamque vitam migravit.

IN

* * * * *

IN FESTO
B. MICHAELIS ARCHANGELI
CONCIO PRIMA,
IN QUÆ LECTIO EVANGELICA
explanatur.

THE. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno celorum. Matth. XVIII. 4.

*** I hujus sententiæ veritate sacratissimæ Virginis dignitatem & celsitudinem, ut par est, metiri velimus; non dubium, quin, post divinæ majestatis sedem, proximum eam locum in regno celorum obtinere fateamur. Quia enim ejus humilitas summa fuit, altissimum quoque in hoc regno locum ipsam tenere credendum est.

Si quis autem ex altera quidem parte sacræ Virginis humilitatem, quam in hoc sæculo prætulit, dum inter homines versata est, consideret; ex altera vero gloriæ magnitudinem, qua nunc in celo fruitur, contempletur: an non præ admirationis magnitudine obstupescet, quum hinc tantam ab-

jectionem, inde tantam gloriæ celsitudinem videat? In hoc enim sæculo sic se ut paupercula mulier pauperi fabro desponsata gerebat, & circa frequens domus suæ ministerium sine ancillarum gregibus occupata, vilique cultu atque habitu induta, sponsi sui paupertatem, & quotidianum laborem opera & labore suo quæ poterat ratione levabat, colat ac tela victum quæritans. Quæ igitur illam sic abjectam atque humilem in hoc sæculo videntur, quid faciunt, quum illam super omnes angelorum choros inæstimabili splendore fulgentem, & ad unigeniti filii Dei dexteram assidentem, & sub pedibus suis supera & infera omnia cernentem viderint? Quid hoc spectaculo ju-

C 4

cun-

tundius? quid mirabilius? Sic enim reprobi in extremo illo iudicio admirabuntur, quum pios homines, qui contempribiles in hoc sæculo apparebant, ad summum dignitatis & gloriæ gradum euectos viderint. (a) *Videntes enim, ait Sapiens, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperata salutis, &c.* Si igitur tantæ improbis admirationi erit, sanctorum gloriam intueri; quid facient, quum summam Virginis gloriam, post tantam hujus vitæ humilitatem & paupertatem, videant?

Verum hoc ad ejus præcipue laudem spectat. Ad nos illud maxime scire spectat, an sacra Virgo, in tanta celsitudine constituta, ad parvulorum preces, quas in hoc sæculo ad eam fundimus, se demittat, eosque pio caritatis sinu amplectatur. Num igitur, o beata mater, nostri oblita es? num præcordia tua gemitus & lacrimæ nostræ tangunt? num voces nostræ castissimas aures tuas pulsant? Proverbium enim est, honoribus mutari mores, & eos qui malorum ignari secunda fortuna fruuntur, miserorum curam abjicere. Sic enim pincerna ille Pharaonis,

(b) qui cum Joseph in carcere vincus asservabatur, succedentibus prosperis, oblitus est interpretis sui. O quam longe ab hoc animo clementissima Virgo abest! Numquam enim summus ille bonorum omnium largitor Deus magnam celsitudinem nisi cum magna humilitate, magnaque parvulorum cura conjunctam tribuit. Quanto enim major est dignitas angelorum, quam hominum? At ii in iuvandis, tuendis & custodiendis hominibus continenter intenti sunt, quemadmodum cælestis magister in hodierna sancti evangelii lectione docet: (c) *angeli, inquit, eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Itaque tantum abest ut summa Virginis celsitudo oblivionem aut contemptum hominum pariat, ut etiam curam & caritatem ejus in nos maxime auxerit. Quis enim dubitat, quin ubi major gloria, major etiam sit caritas & gratia, ac proinde major erga miseros misericordia? Hac igitur misericordia nunc indigemus, fratres, ut deposito superbiæ & arrogantia supercilio, Virginis humilitatem sectari valeamus. Hæc enim virtus quo longius

(a) Sap. 5. 2. (b) Genes. 40. 10. seqq. (c) Matth. 18. 10.

gius ab affectu carnis distat, hoc magis cælesti eget auxilio. Vere enim magnum & supra hominis facultatem positum est, ut qui superbia elati ad concionem venimus, demisso atque humili corde ab ea recedamus. Ad hoc igitur cælestem opem, sacratissimæ Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Inter magnificentissima mundi opera, Salomonis templum celebratur: in cujus fabricam infinita pæne auri, argenti & æris copia expensa fuit. Quo opere absoluto, Hebræi magnum se obsequium Domino præstitisse credebant. Quorum tamen ignorantiam per Isaiam Dominus corripuit his verbis: (a) *caelum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam edificabitis mihi, & quis iste locus requietionis meæ?* Quod perinde est, ac si diceret: domus hæc ad habitationem quidem meam supervacanea & angusta est, quum cælum mihi sedes, terra vero scabellum pedum meorum sit. Itaque domum hanc non tam mihi, quam vobis, edificastis, ad quam opem & misericordiam meam imploratu-

ri confugiatis. Quid igitur, Domine? Si tibi, quæ æstimatione nostra magna & ampla sunt, vilescunt; quid tibi, quæso, gratum, quid te dignum erit? Num taurorum & agnorum millia in sacrificium oblata? (b) *Non, inquit ille, accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos: quoniam mea sunt omnes fera silvarum, jumenta in montibus & boves.* Quid igitur, exponere, quæso, Domine, majestatis tuæ oculis gratum sit: hoc enim nostra maxime scire refert. Sicut enim qui regum* gratiam expetunt, ea solent diligenter indagare, quæ ipsis præcipue jucunda sunt: ita qui gratiam tuam supra omnia expetendam judicant, quo te potissimum officio demereantur, studiosissime quærunt. Ne ergo ingenium nostrum in hujusmodi inquisitione fatigaremus, ipse nobis arcanum hoc patefacere dignatus est, quum post illa verba subjecit: (c) *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & tremementem sermones meos?*

Quis hic non divinam bonitatem collaudet, quæ hoc tantum bonum in ea re collo-

(a) Isai. 66. 1. (b) Psalm. 49. 9. 10. (c) Isai. 66. 2.

cavit, quæ volentibus in promptu est? Si enim in excelso dignitatis gradu, aut splendida fortuna hoc posuisset; difficultatem rei causari tenues homines potuissent: at quum non in ascensu, sed in descensu posuerit; facilem quidem & expeditam nobis ad felicitatem viam munivit. Quo nomine D. Bernardus graviter adversus hominum superbiam incandescit, quod quum descendere sit facillimum, difficillimum autem ascendere; ipsi tamen malint cum labore & periculo ascendere, quam cum maximo suo fructu, parique facilitate descendere. In hunc ergo humilem corde, quem pauperulum Dominus appellat, oculos suos figit, hunc se respicere, hunc sibi gratum esse testatur. Merito autem paupertatis nomine humilem appellavit: quia ille vere humilis est, qui paupertatem & nuditatem suam agnoscit; qui se nihil ex se habere præter peccatum & nihilum profitetur; qui omnia, quæ habet, sive naturæ, sive gratiæ bona, uni Deo accepta refert; qui neque iudicio suo, neque consilio, neque viribus nititur, sed spem omnem salutis in divina mis-

ricordia collocat; qui totus ex Deo pendens, ejus opem piis clamoribus continenter implorat. Idem etiam ad Dei sermones tremere, propter summum parendi studium, dicitur. Unde quum Deus minatur, timet; quum promittit, sperat; quum jubet, obtemperat; quum loquitur, auscultat; quum vocat, accurrit; quum revocat, redit; & omnibus in rebus se illi obsequentem & morigerum exhibet.

Tales ergo, qui in oculis suis nihil sunt, summus ille rerum omnium conditor amicis oculis intuetur: qui vero tales non sunt, quamlibet magni sibi appareant, viles ante eum existunt. Hinc D. Gregorius, verba illa Domini, I. Regum 15. (a) explanans: *nonne quum es ses parvulus in oculis tuis, &c.* sic ait: (b) *magnus mihi fuisti, quia despectus tibi: at nunc quia magnus tibi es, mihi es despectus. Tanto ergo fit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi.* Hæc ille. Idem etiam regius vates nos docet, quum ait: (c) *excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta, hoc est, mundi iudicio ampla & illustria, a longe cognoscit: quoniam*

(a) *Verf. 17.* (b) *Gregor. Moral, lib. XVIII.* (c) *Psalms. 137. 6.*

niam ea despicit, & pro nihilo ducit. Vera enim magnitudo in superbis contemendis, & pauperibus infirmisque tuendis maxime cernitur. Hinc regius vates, cum Deo agens, (a) *tibi, inquit, derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor.* At falsa magnitudo ut potentioribus turpiter servit, ita infimos quosque crudeliter despicit. Hanc enim Amos propheta notavit, quum dixit: (b) *bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, nihil patiebantur super contritione Joseph.* Sed dicetis forsitan: quorum hoc tam longum de humilitate principium? Nimirum, quia hoc est quod præcipue in hodierna sancti evangelii lectione cælestis magister docet: ea vero sic habet.

S. I.

Accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: quis putas, major est in regno calorum? Expendamus primum, quæ fuerit hujus interrogationis occasio. Primum quidem, quod Petrum inter ceteros discipulos ecclesiæ caput & fundamentum a Domino constitutum fuisse audierant: & quod in præfenti lectione tributum Dominus pro se, & pro eodem

Petro solvi præceperit. Qua de re sic S. evangelista ait: (c) „ quum venisset Capharnaüm, „ accesserunt, qui didragma „ accipiebant, ad Petrum, & „ dixerunt ei: magister vester „ non solvit didragma? Ait: „ etiam. Et quum intrasset in „ domum, prævenit eum Jesus, „ dicens: quid tibi videtur, „ Simon? Reges terræ a „ quibus accipiunt tributum „ vel censum? a filiis suis, an „ ab alienis? Et ille dixit: ab „ alienis. Dixit illi Jesus: ergo „ liberi sunt filii. Ut autem „ non scandalizemus eos, vade „ de ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui „ primus ascenderit, tolle: & „ aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da eis „ pro me & te.

Sequitur deinde: *in illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: quis, putas, major est in regno calorum? &c.* Cujus quidem interrogationis hæc causa existit, quod quum tributum illud non a singularibus personis, sed a patribus familias, qui domibus præerant, exigere; Dominus autem non pro ceteris discipulis, sed pro Petro tantum solvi iussisset; hoc ipso ceterorum disci-

(a) *Psalms. 9. 14.* (b) *Amos 6. 6.* (c) *Matth. 17. 23. 26.*

scipulorum, hoc est, familiae Christi caput & primatem esse declarabat. Quum ergo discipuli Petrum a Domino hac in re ceteris praeferrere animadvertent; non minus aegre hoc tulerunt, quam quum Jacobus & Joannes fratres dexteram & sinistram in regno Christi, subornata matre, perierunt: tunc enim haec de primatu contentio inter eos agitata fuit. Haec igitur quaestio, quae specie tenuis pietatem referre videbatur, occultam ambitionis & invidiae radicem intus celabat. Invidiam quippe D. Gregorius ambitionis filiam esse testatur: neque enim ambitiosus patienter ferre potest, ut alius honorem, quem ipse ambit, ei praeripiat, quin livore & invidia mordeatur. Quam ob rem quisquis invidiae pestem a se excutere cupit, radicem ejus abscindendam curet: *matre enim*, ut idem Gregorius ait, *extincta, filia protinus interibit.*

Quum ergo Salvator quamdam ambitionis & invidiae, ut ita dixerim, fibram in discipulorum pectore latentem huic interrogationi causam dedisse animadvertisset, hac ratione morbum hunc curare aggressus

est. *Advocans enim parvulum, statuit in medio discipulorum.* Mos erat prophetis olim, ut quum aliquid audientium animis altius infigere vellent, quoniam nuda verba exiguum ad hoc vim habere videbantur, earundem rerum imagines verbis addere studerent, ut auditorum oculis conspiciendum subjicerent, quod verba minus aperte significabant. Sic Isaias ex Domini praecepto (a) nudus in medio populi ambulavit, ut Jerosolymitani regni vastitatem & populationem propter peccata populi futuram denuntiaret. Sic Jeremias catenas collo circumpositas bajulare, & laticulas praesente populo infringere praecipitur, (b) ut ejusdem populi captivitatem, & urbis excidium praenuntiaret. Sic Ezechiel parietem noctu perfodere, (c) per eam egredi, & pilos abscissos per aera spargere, & gladium post eos evaginare juberetur, quo ejusdem populi fugam, & futuram ejus dispersionem hac rerum imagine ipsi ante oculos poneret.

Ad hunc ergo modum Salvator, qui tam multis antea documentis humilitatis virtutem

(a) *Isai. 20. 2.* (b) *Jerem. 19. 1. 11.* (c) *Ezech. 12. 3. seqq.*

tem commendaverat, nunc novo quodam exemplo non verbis solum, sed expressa quadam ejus effigie, commendat. Advocatum enim parvulum statuit in medio discipulorum. Mirantur illi rei novitatem, novamque docendi rationem, qua numquam caelestis magister, nisi in hac sola humilitatis commendatione, fuerat usus. Circumstante igitur discipulorum corona, pueroque in medio eorum collocato, Salvator, protensa in parvulum manu, ait: *amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in regno caelorum.* Animadvertite, quales, fratres, quantum divina ab humanis judicia distent. Verissime enim Dominus per prophetam dixit: (a) *sicut exaltantur caeli a terra, sic exaltata sunt via mea a viis vestris, & cogitationes mea a cogitationibus vestris.* Discipuli, ambitionis spiritu instigati, caelestis regni primatum ambiabant: Dominus contra novissimum eis locum, & parvulorum spiritum proponit, si principem in eo regno locum

habere vellent. O quam dissimiles divini Spiritus, & humani cordis affectus sunt! Isti nihil, nisi sublime, excelsum & honorificum, cogitant: illi nihil, nisi humile, demissum & abjectum.

Sed dicetis: qua ratione converti possumus, & effici sicut parvuli? Hoc nos Petrus apostolus docet, quum ait: (b) *quasi modo geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite.* Paullus item (c) *nolite, inquit, pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote.* Jubemur ergo, puerili ignorantia praetermissa, candidos puerorum mores, non pueriliter, sed prudenter aemulari. Pueri enim primum, ut nomen ipsum praese ferre videtur, puri sunt, simplices, innocentes, humiles, & majorum imperio parentes. Pueri facile placantur, cito ignoscunt, & iracundiam aut odium diu non retinent, non de eminentiori in templis loco digladiantur, non factionibus student, non male de aliis aut judicant, aut loquuntur: denique malitia omnis a puerili simplicitate abest. Hanc ergo puerorum simplicitatem & innocentiam in moribus nostris caelestis magister refer-

(a) *Isai. 55. 9.* (b) *1. Petr. 2. 2.* (c) *1. Corinth. 14. 20.*

ferre nos & imitari jubet.

§. II.

Quamvis autem hæc in parvulis simplicitas ab omni malitiæ fūco aliena præcipue emineat; humilitatem tamen, cuius imaginem in pueris cernimus, qui ab omni arrogantia & superbiæ fastu atque tumore alieni sunt, nobis Dominus hoc exemplo voluit commendare: quod ea videlicet aliarum virtutum non modo fundamentum, sed custos etiam & nutrimentum sit: ideoque hanc a nobis præcipue colendam atque sectandam monet, si ad virtutum culmen volumus pervenire. Hinc D. Augustinus: *cogitas*, inquit, *fabricam magnam exstruere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis*. Non tamen satis est huic virtuti, quod aliarum sit fundamentum, nisi easdem etiam & conservet, & augeat, & ad culmen usque perducatur: tanta ejus vis atque potestas est. Quam rem D. Bernardus ad duas nobilissimas virtutes, castitatem videlicet & caritatem, præcipue referens, ait: (a) ,, ut ,, castitas sive caritas detur, ,, humilitas meretur: quoniam ,, humilibus Deus dat gratiam. ,, Eadem etiam servat acce-

,, ptas: quia non requiescit spiritus, nisi super quietum & humilem. Et servatas item consummat: nam virtus in infirmitate, hoc est, in humilitate perficitur, & inimicam gratiæ, omnique initium peccati, debellat superbiam. ,,

Sed inter has tamen humilitatis laudes illa maxima censenda est, quod in hac vita, quæ tota vel tentatio vel militia esse dicitur, in qua nihil tutum, nihil securum est, sola humilitatis virtus, quamdiu firmiter mentibus nostris infixæ hæret, securitatem inter innumeros diaboli laqueos & insidias præbet. Numquam enim vere humilem amator parvulorum Dominus labi permittet. Quod intelligens David rex, ad hujus virtutis præsidium, velut ad sacram ancoram, confugiens, agebat: (b) *custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, & liberavit me*. Hinc Joannes Climacus: *omnium*, inquit, *venenatarum ferarum sensibilibus interemptor est cervus: intellectualiam vero humilitas interfecitrix est*. Unde magnus ille Antonius monachus, in ecstasim raptus, universum mundum laqueis se

(a) Bernard. in Epist. (b) Psalm. 114. 6.

se mutuo connectentibus plenum vidit, tantæque rei novitate stupefactus, exclamans: *o*, inquit, *quis istos effugiet!* vocemque prorinus e calis allatam audivit: *Antonius, humilitas*. Quin & illud huic eximia virtuti tribuitur, quod quemadmodum tribulationum patientia, ita etiam cordis humilitate vera atque perfecta virtus probatur. Quam sententiam D. Augustinus confirmat, illam Ecclesiastici locum enarrans: (a) *vasa figuli probat fornax*, &c. Hæc namque vasa vento erumpente crepant: quæ autem vento carent, multo magis igne solidantur. Ad hunc ergo modum spiritualia vasa, quæ superbiæ vento inflata sunt, ignominia oblata crepant: non crepant autem, quæ hoc superbiæ vento carent.

Hoc autem argumento antiqui olim eremi patres sancti Simeonis Stilitis virtutem probare voluerunt. Quum enim is novam quandam vivendi rationem, omnibus antea sæculis incognitam, elegisset; ut videlicet in columna, triginta quinque cubitis a solo erecta, habitaculum sibi elegisset: ad illum patres legationem mise-

runt, quam Evagrius scholasticus memorat his verbis: ,, quum Simeones iste, qui in ,, terra angelus, in carne cælestis Jerusalem civis fuit, ,, peregrinam vivendi viam, ,, hominibus plane incognitam, instituisset; sancti eremi incolæ mittunt quemdam ad illum, jubentque, ,, ut ab eo sciscitaretur, quid ,, hæc nova & inusitata vitæ ,, ratio sibi vellet, & quam ,, ob rem, trita vivendi via, & ,, sanctorum pressa vestigiis, relicta, aliam quandam peregrinam, & hominibus omnino ignotam, sequeretur? eumque hortantur per nuntium, ,, ut ex suo domicilio descenderet, viaque electorum patrum insisteret. Quod si alacri animo ac parato descendere videretur, mandarunt, ,, ut ei sui ipsius vivendi viæ insistendi potestas fieret: ex obedientia enim satis constare posse dixerunt, eum Deo duce in eam viam ingressum fuisse, tamque grave certamen ad se afflictandum in vita, suscepisse; sin resistere, aut suæ inserviret voluntati, ac non statim ipsorum hortationi motum rem gereret, ut vi inde ab-

(a) Eccl. 27. 6.